

29482.
DISSERTATIO MEDICO-INAUGURALIS

DE

PUSTULA LIVIDA

VULGO

„DIE BLAUE BLATTER,“

MORBO ESTHONIAE ENDEMIO,

QUAM,

CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDI-
CORUM ORDINE IN UNIVERSITATE
LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI,

PRO GRADU DOCTORIS IN UTRAQUE MEDICINA

D. XXII. MARTII MDCCCIX, HORA X IN LOCO CONSUETO
PUBLICÉ DEEENDET

AUTOR,

CHRISTOPHORUS HENRICUS RINNE,

REVALENSIS,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE MAGISTER

LIBRARIAT:
ACADEM:
DORPAT:

DORPATI,

LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII,

TYPOGRAPHI ACADEMICI.

Instituti ratio.

Plures dantur morbi, quin! morborum familiae, quorum fons et natura sagacissimis ipsis et longa experientia edoctis medicorum principibus recondita est. Contagiosorum aequae ac endemiorum morborum genera exempli instar adtulisse licebit. Potissimum vero morborum endemiorum causae ita latent, ut, etsi indagatione acerrima et indefessa, rarissime tamen penitus eruantur. Nos quidem sub nomine morborum endemiorum, patruorum, indigenorum, vernaculorum eos cum Cartheusero a) comprehendimus, qui huic vel illi regioni, aut saltem urbi, quasi proprii sunt et toto proinde anno, vel

a) De morbis endemiis libellus. Excit. ad Viadr. 1771.

stato tamen anni tempore, incolarum multis magis minusve infensi reperiuntur, nec unquam regionem illam aut urbem; propter causae communis perseverantiam, penitus derelinquunt. Negari ceteroquin nequit, morborum endemiorum nonnullos ex regionibus illis, in quibus primordia sua fixamque sedem habent, interdum in alias regiones, ab iis antea plane immunes, per contagium transferri ibidemque evadere epidemios. Cuius rei exemplum paucis abhinc annis habuimus in *febre sic dicta flavo Americana*, regionibus tropicis antea modo indigena et ad Europam translata. Imo constat, morbos hosce per contagium transplantatos et initio saltem epidemios, subinde, ob indesinentem creberrimamque infectionem, iura tandem aegritudinum indigenarum certo respectu adipisci easdemque postmodum tantopere frequentia sua aemulari, ut a veris endemiis, in hac vel illa regione primitivis, vix amplius, aut ne vix, distingui possint. Medicorum parens, *Hippocratem* puto, iam causas investigare periclitatus est, quae morborum endemiorum ortui ansam praebent. b) Neque minus recentiorum

b) In libro de aëre, aquis et locis.

plures vestigia eius attenta mente et ingenio acutissimo secuti sunt, quod topographiae tot medicae nostris temporibus conscriptae luculenter testantur. Attamen in aprico iacet, causas, quae horum morborum genesi favere dicuntur, non omnibus ab numeris esse absolutas et detectas. Singularis enim *æris, ventorum, aquarum, telluris, exhalationum ac victus conditio* inimica eaque constans, quae totum causarum hucusque notarum catalogum absolvunt, non penitus sufficiunt, ut ex *his* cuiusvis morbi *endemi* ortus et natura demonstretur. Constat videlicet, quod plures regiones, quae aquarum situs, victus, ventorum, æris ratione valde conveniunt, morborum endemiorum respectu toto coelo sibi invicem sint dissimiles. *A* proposito autem nostro longe abhorret, in mancam horum morborum aetiologiam diligentius inquirere, cui insuper labori vires medici iuvenis vix pares habentur. Cum vero notio aegritudinum endemiarum sine dubio egregie promovetur, si curationes de singulis monographias adferre scriptoribus placeret, et nobis visum est, ut non indignum dissertatione inaugurali confi-cienda obiectum eligeremus, cum de morbo singulari endemio, hucusque minus noto, verba faceremus.

Morbi diagnosis et decursus.

Pustula livida (ab Esthonis „Will“ sic etiam „Sinni-Will“ et „Wessi-Will“ dicta) morbus est endemius, in provincia Esthoniae unice hucusque indigenus et potissimum agricolas infestans. Rarissime modo inter Livonos unum exemplum alterumve aegritudinis nostrae occurrisse dicitur, quod vero autoptico medicorum testimonio omnino caret. Sic etiam *pustula gangraenescens Sibirica*, et morbus *pustulosus Fennicus*, cuius mentionem Bornemann c) Winkler d) et Ellisen e) fecerunt, a pustula, livida valde distant, cum modo pustulae huius imaginem, cuius delineationem nunc adgredior, cum facie morborum dictorum comparare velis. Phaenomena, quae pustulae lividae eruptionem aut genesin saltem, praesagiunt, varia depre-

c) Herrmann Beiträge zur Physik, Oeconomie, Mineralogie, Chemie, Technologie und Statist. besond. der Russisch. u. angränzend. Staat. III. Bd.

d) Von einig. d. gewöhnlichst. Krankh. d. Ebstländ. Bauern. Reval 1793.

e) О желвакахъ или сибирской язвъ. Санкшпенсербургъ 1808.

henduntur, quae differentia a vegetiori aut debiliore aegrotantis constitutione, ipsius morbi gradu, tempestatisve conditione pathogenica pendere mihi videtur. Interdum prodromi atroces morbum instantem indicant; interdum levioris modo valetudinis adversae sensationes illum antecedunt; tamen vix non semper febris mitior, aut gravior pustulae nostrae erit nuntius. Malum, cum modo in peripheria externa erupuerit, pustulae parvulae, primo prurientis, qui pruritus statim vero in dolorem pungentem abit, formam sibi parat, magnitudine piso paris et fundo violaceo-rubescenti insidentis. Die iam morbi secundo pustula haec sero impletur livido et ad magnitudinem nucis avellanae accrescit. Apex nunc desidit, quasi fundo adfixus esset, et colorem coeruleo lividum induit. Ambitus pustulae duriusculus, etsi non rubens, aut memorabili calore adaucto reperitur; pars, cui pustula insidet, tumida cernitur, nec non partes proxime adiacentes plus minusve tument. *Winkler f)* una alterave vice morbum nostrum tuberis duri formam sibi vindicare vidit, quod obser-

f) J. c. Pag. 293.

vare mihi non contigit. Doloris vehementia nunc in horas increscit eoque mirum in modum augetur, si pustula scalpturiginis ope nimis mature epidermide et cute privatur. Tunc symptomata, etsi in stadio eruptionis ipsae mitiora, vehementia redduntur. Cum e contrario, si pustula, maturitate iam gaudens, sponte aut arte aperitur, cum tumore partium symptomatum etiam furorem decrescere cernimus. Rupta haec pustula, solius naturae auxilio commissa, plerique in ulcus exedens abit, quin! imo, teste *Winklero* g) cariem interdum inducit febremque hecticam. Phaenomena consueta, quae prodromorum non solum munere funguntur, sed morbi etiam concomitantur decursum sequentia habeto: segnities, lassitudo dolorosa, debilitasque totius organismi notabilis; aeger statim in initio extra lectum morari recusat; dolor capitis obtusus, gravativus, qui occipitis potissimum et suturarum regiones occupat; vertigo; nausea, sensus saporis amari, vomitus biliosus, anorexia, praecordiorum dolor, lingua ut plurimum pura, imo humida; anxietates; pal-

g) l. c. Pag. 249,

pitatio cordis; respiratio celer, anxia; horripilationes crebrae et pustula ipsa plorumpente frigus percutiens, posthaec calor plerumque insignis; agrypnia; vox tremula, plorabunda, flebilis; oculi rubicundi, quasi lacrymis obducti; omnes de infausto morbi sui exitu convicti mortem non evitabilem expectant, quod et in illis occurrit, qui morbi genus plane ignorant, neque ulla ratione divinant, se a pustula livida esse correptos. Haec quidem symptomata furoris sui statim aliquantulum dimittunt, cum modo pustula ipsa erupuit; interdum autem, quod subiectis debilioribus iisque accidere solet, qui genuinae artis auxilio prorsus destituti sunt, remissio haec non observatur, et vomitus saltem ipsam post eruptionem continuat. Quo gravior morbus, eo certius quarto, quintove die convulsiones et deliria accedunt, quae sexto aut septimo die aegrotum iugulant. Quodsi vero pustula aut omnino erumpere recusaret, aut post mortem (quod non raro fit) erumperet, symptomata mirum in modum vehementiora apparent et mors iam viginti quatuor, aut triginta sex inter horarum spatium, si ab primo morbi initio numeres, atrocissimis phaenomenis concomitata incedit. Ratione sedis nullum prae

aliis locum occupare pustula consuevit. In omnibus enim corporis partibus, experientia teste, erumpit. Cl. *Winklero* contigit, praesentiam eius in tergo, palpebris, genitalibus ipsis observare. In aegrotantibus, quibus medicus adfui, faciem, pectus, manus et brachia malum obsidebat. Nec generi, nec ulli parcit aetati; attamen in tenerrima infantia hucusque nondum observata fuit. Plus trinis pustulae non apparent, plerumque singula modo, rarius binae erumpunt. Quovis anni tempore malum aegrotos adgreditur, frequenter vero aestate perquam calido, aut humido autumno. Sic et singulas regiones saepius, ac alias, infestat, potissimum paludosas; quod tamen non multum ad pathogeniam morbi eruendam facit, cum non raro in eiusmodi regionibus tempore hiemali saevit, quo thermometerum decem, viginti, et quod excurrit, frigoris gradum in scala *Reaumuriana* indicit, atqui omnes tunc temporis exhalationes paludum cessant. Naturam etsi contagiosam morbi nostri prorsus negare nollem, attamen aegrius ac alia contagia transferri videtur. Saepissime enim unicus modo in tota domo labe ista maculatur, cum ceteri omnes non interrupta sanitate eaque perfecta fruuntur. Hoc

autem observationibus colligere repetitis mihi licuit, ut, cum coniugum unus pustula livida corripereetur, et alter sive eodem tempore, sive paulo post, ea fuerit adfectus. Quod, ni fallor, probare videtur, contactum intimum et protractum communicationi contagii modo favere.

Aetiologia morbi.

Morbus sic dictus *Fennicus* et *Sibiricus* (quorum alter apud incolas huius terrae nomine Rossico „*laswa*“ vocatur,) qui, testantibus *Solander* h) et *Ellisen*, i) pustulae nostra valde consimiles sunt, a morsu insecti cuiusdam (*furiae infernalis*) oriuntur, uti scriptores contendunt, qui monographiam illorum nobiscum communicarunt. Eandem pustulae lividae originem esse tribuendam, medicis nostratibus visum est. Multa vero argumenta, eaque gravissima, contra hanc opinionem repugnant, quorum nonnulla hoc loco adtulisse ad rem nostram facere videtur.

h) *Winkler*. I. c. Pag. 297.

i) I. c.

1. Pustula livida in omnibus anni temporibus, hieme ipsa frigidissima, in populum saevit; morbus e contrario Fennicus aestate modo grassatur, quae unica insectorum istorum vitae favet.

2. In pustula morbi Fennici larva insecti, quod sub cute residet, saepius visui patet et cultri ope removendus est; in pustula livida vero causa haec animata nunquam hucusque sensibus fuit apprehensibilis.

3. Pustulam lividam motus febriles notabiles semper antecedunt; in morbo Fennico hi motus praegressam inflammationem topicam modo sequuntur.

4. Exceptis ceteris huius provinciae incolis Esthoni modo pustula livida afficiuntur. Qua, quaeso, ratione factum hocce erit explicandum, si causam morbi animatam ponas, cui cutis peripherica cuiusvis hominis patet.

5. Tandem, uti iam antea monui, pustula nostra nonnullis in aegrotis post mortem primo efflorescit, quod in morbo Fennico et Sibirico nunquam, quantum mihi saltem innotuit, observatum est.

6. Morbus Sibiricus et Fennicus etiam in pecora grassantur; pustulae vero lividae non

nisi homines, eorumque modo unica classis, sunt obnoxii.

Hac autem ratione morbus Sibiricus et Fenicus cum nostro conveniunt, ut saepius in loco isto, quem sedem futuram malum sibi elegit, pruritus, postea dolor pungens, percussio denique quasi electrica eruptionem sequentem nuntient.

Causam morbi praedisponentem in vitae genere ruricolarum nostrorum positam esse, *Winklero* arridet; potissimum in usu frequenti piscium sale multo conditorum et domiciliis sordidis humidisque. Egomet vero saepius *Esthones* vidi pustula correptos, qui a pueritia in praediis domini sui commorantes habitatione salutare et nutrimentis optimis utebantur. Quod si vero pisces sale conditi tantum ad morbi nostri genesin facerent, quo, quaeso, fit, ut incolae oris ac insulis Balticis circa *Revaliam* inhabitantes, quorum unicum fere nutrimentum eiusmodi sunt pisces, pustulam lividam fere prorsus ignorent? Insuper hoc anno, quo rustici, ob bellum maritimum, quod cum *Anglis* *Suecisque* gerimus, omni fere sale penitus carent, morbus iste periculosus inter populum vehementer circumvagatur. Nuperrime foemi-

nam labe hac contaminatam curavi, quae sanctissime mihi adfirmavit, ut intra anni spatium nullo pisce salito fruita sit.

Sic etiam non iure maiori situs domiciliorum paludosus et immundities eorum sunt accusanda. Primo enim morbus noster et tales adgreditur homines, qui regionibus celsioribus, vento patentibus atque sat amplis, siccis, mundisque inhabitant domiciliis; quod potissimum de iis valet Esthonis, quae in praedio domini servorum instar vivunt. Secundo morbus noster saepissime media in hieme saevit, in qua frigus notabile exhalationes paludum noxias prorsus delet.

Absentia denique creberrima omnium prodromorum et admodum subitanea morbi generis, valetudinem perfectissimam interrumpens, causas pedetentim pustulam praedisponentes recusat.

Potentiae nocentes notae, quorum auxilio et epidemiorum, et endemiorum et contagiosorum, malignorumve morborum ortum eruere atque demonstrare consuevimus, ad certam pustulae lividae pathogeniam eruendam nulla ratione sufficiunt. Ea si methodo uti velimus, undique contradictionibus obviam imus et lux,

quam quaerimus, quaerentes fugit. Liceat igitur, ut mea quaedam cogitata de morbo nostro censurae lectorum paucis proponam verbis.

Constat inter omnes, qui in evolvendis observationibus medicorum practicorum cuiusvis aevi rite versati sunt, vim vitalem in singula solum organismi parte, mediantibus causis saepissime non eruendis, eum in modum mutari, decrescere, quin! imo subito deleri posse, ut mors topica hanc affectionem quam celerrime sequatur. Huius rei testimonium edunt *anthrax malignum et pestilentielle*; k) *angina gangraenosa*, Neapolis olim epidemice, sed aliis etiam locis grassans; l) *anthrax insularum Archipelagi*; m) *necrosis senum*; *gangraena* sic dicta

k) *Sawages*. Nosolog. methodic. Lips. 1791. Tom. II. Pag. 232. 249.

l) *Broncoli*. De populari, horribili ac pestilenti gutturis et annexar. part. affectione. Neapol. 1622.

Sgambati. De pestilent. fauc. adfect. Neapol. saevient. Neap. 1620.

Sarcone. Krankheit. von Neap. Tom. III, P. 221.
Rowley. Ueb. d. böartig. Halsentzünd. Breslau 1789.

m) *Tournefort*. Relation d'une Voyage au Levant, Paris 1717.

critica; certo quodam respectu etiam *malum rubrum Gayennense*, n) *morbus Crimmicus*, o) *erysipelas Asturiense* p) et aliae aegritudines huc pertinent, etsi hae nec tot insidias vitae inferunt, nec tam subito, uti praecedentes, partium affectarum mortem, aut destructionem moluntur. Pustula mihi livida nil aliud esse videtur, quam typhus nervoso-putridus in initio mere topicus, qui vere, ut in omnibus morbis acutis topicis serius, ociusve, fieri solet, ob commune vinculum, quod omnes organismi partes unit, in afflectionem universalem transit. Aequae mihi opinio arridet, causam morbi proximam in contagio specifico consistere, quod non foris ortum et corpori admotum est, sed sub conditionibus hucusque ignotis in ipso organismo nascitur. Si ex aëre esset advectum, tunc plures eodem tempore homines morbo nostro adficerentur necesse esset; pustula vero livida nunquam epidemice grassatur. Causa

n) *Sprengel Handbuch d. Patholog.* III. Th. S. 577.

o) *Ibid.* S. 581.

p) *Ibid.* S. 584.

eruenda, cur in parvula modo regioni occurrat, neque omnibus Esthonis sit obnoxia, me non parem esse lubenter confiteor. Neque multi ponderis in praxi medica esse videtur, ut genesis huius morbi nos penitus fugiat; cum modo mali naturam convenientemque ei medelam sat habeamus perspectam.

P r o g n o s i s

Non admodum raro morbus noster omnibus absque prodromis oritur, quod plerumque gradum periculosum infaustumque minatur exitum. Ut plurimum decursus morbi tanta celeritate absolvitur, quā nulla fere febris typhodea alia illum vincit. Pustula livida vero omnibus etiam sub circumstantiis semper inter septimanam iudicatur; sic ut restitutio in sanitatem pristinam, cum morbus statim in initio modo rite dignoscatur, ultra octavum diem, aut decimum non protrahitur.

Ex eo insuper tempore, e quo notio naturae morbi vera cum rationali therapia medicis patuit, prognosis amplius non debet esse ambigua. Iure potius optatum decursum sperare possumus, cum modo pustula statim efflorescere non recuset; cum non regiones corporis occupet,

quae organa nobiliora includunt, aut illis sint vicinae; cum denique aegrotus antea constitutione vegetiori et valida gauderet, neque praegraessis morbis iam plus minusve sit debilitatus. Si vero facies pectusve insigniter tumet, pustula secundo morbi die nondum apparuit, vomitus biliosus enormis, pulsus parvus, contractus atque valde frequens adest, aeger anxietatibus continuis miroque praecordiorum dolore excruciatum et denique de morte inevitabili persuasum sibi habet; tunc summum adest periculum atque medico post tertium morbi diem primum in auxilium vocato fere nulla amplius salutis spes affulget. Neque minus periculi pustula, etsi primis hanc horis erumpens, minatur, cum modo in collo aut palpebris sedem sibi elegerit. Si in collo, hoc ita tumet, ut aeger facile suffocatione iuguletur aut faucium laryngisque paralyti e medio viventium tollatur; si in palpebris, oculus non raro cum in modum corripitur, ut sensus visus penitus pereat. Denique pessimum erit metuendum, si erupta pustula febris enormis typhodes, vomitus insignis, anxietatesque continuant.

Medela morbi.

Pustulam lividam ad genus febrium typho-
dearum, earumque acutissimarum pertinere,
certissime nemo negabit, qui morbi phaenome-
na et decursum modo rectius perpendit. Me-
thodum medendi generalem, quae eiusmodi
convenit febribus, *excitantem* puto, etiam ad
morbum nostrum profligandum omnium esse
aptissimam, nullo amplius dubio premitur. Ta-
men medicis qui artem in provinciis Esthoniae
profitentur, e re fore visum est, ut morbo in-
eunte emeticum porrigatur. q) Qui hoc utun-
tur remedio, minus evacuandi scopo illud com-
mendant, quam potius, ut mediante eo totus or-
ganismus quasi concutiatur et contagium ad pe-
ripheriam propellatur. Quam contra methodum
ni omnis fallor, graviora argumenta repugnant.

Imo enim *sordes primarum viarum nunquam,*
aut rarissime saltem, in initio morbi manifestan-
tur. r) Quodsi serius colluvies eiusmodi no-
tis phaenomenis nuntiatur, productum modo,
nulla ratione vero causam pustulae eam habeto
et tunc vires vitae eum iam in modum labefac-

q) Confer, *Winkler* l. c. Pag. 308.

r) Confer, *Winkler* l. c. Pag. 308, 309.

tatee sunt, ut omnem medicinam evacuantem penitus recusent. Vis, ventriculum ad motum peristalticum inversum seu convulsivum cogendi, emeticorum est primaria; diaphoresin promovendi autem modo secundaria. Illa vehementer ventriculum infestat et hoc quidem absque scopo, cum non habeamus, quod eliminandum esset. Medici insuper sanctissimum est officium, ut nil sine ratione sufficienti agat, ut naturam non impetuose cogat ad rem perficiendam, cui methodus mitior et securior omnino par sit. Neminem autem fugit, apparatus nostrum medicamentorum tot auxiliis abundare, quae suaviori et tamen sat secura ratione cutis spasmum solvunt et contagia ad peripheriam advocant; v. c. balnea tepida et calida, fomentationes emollientes aut aromaticae, frictio, epispastica, diaphoretica leniter excitantia etc. Mediantibus hisce scopum antea dictum quam optime adsequimur, absque omni praecedenti iniuria naturae illata.

II^{do}. Inter symptomata morbi nostri fere pathognomonica, quae tum eruptioni pustulae antecedunt, tum eruptam saepius concomitantur, vomitum enumeravimus biliosum excedentem. Phaenomenon hoc non, nisi ex incitatione nimia eaque morbosa systematis bilem parantis profiscitur, quae, ut mihi in aprico esse videtur,

status inflammationi asthenicae hepatis valde consimilis est et accidente novo stimulo facillime in illam abit. Metuendum igitur erit, ne propinata medicina emetica aegrotō, cui mederi velis, typhum icterodem pares, quo tunc certissime inguletur.

III^{to}. *Lex therapeutica, medicis omnibus genuinis inviolabilis, imperat, ut in medela febrium typhodearum, potissimum vero earum, quae malignitatis aut perniciēi caractere stipatae sunt, statim ab initio viribus vitae quam diligentissime parcamus.* Pustulam lividam typho pernicioso esse notatam, sic etiam vomitoria semper debilitatem aliquam, operationis suae sequelam, inducere, praesertim cum materiam absolute debilitantem non habeant, quam educant; quis, quaeso, est, quin veritates hasce concedat?

In tres apte partes methodus huic morbo medendi dispescitur: altera nimirum auxilio topico externo, universali interno altera praesidet, tertia denique symptomata urgentia respicit.

A. *Cura pustulae externa.* Simulae talia apparent symptomata, quae instantem morbi nostri eruptionem nuntiant et horis triginta sex elapsis pustula non exiit; tunc ulla sine mora causae sunt indagandae, quae retentionem molliantur. Quodsi ex illis spasmus asthe-

nicus peripheriam obsideret; fomentationibus aromatico - vinosis, balneis calidis aromaticis, rubefacientibus, brachiis, suris, nuchae impositis statim erit utendum. Eodem simul tempore *pulvis anodinus Doveri*, vel absque omni connubio, vel granis tribus aut quatuor *Salis Corni Cervi* nuptus, propinetur, superbibendo infusum theiforme calidum e floribus *Chamomillae*, herba *Menthae*, *Rutae*, aliave planta aromatica. Insignis vero si virium vitalium prostratio eruptionem impediret, tunc, non neglecta cura externa, insuper potissimum methodo generali excitante opus est, de qua posthaec sermo erit. Cum modo pustula eruperit, statim vesicatorium superimponatur, cuius ope plerique in ulcus simplex mutetur, quod nunc unguentis leniter excitantibus obligetur. Interdum accidit, ut ulcus istud in gangraenam abeat; quo facto *Unguentum de Styrace* cum *Camphora* linteis carptis illitum adplicandum est, cui insuper fomentationes calidae e decocto concentrato vinoso *Corticis peruviani*, aut *Corticis Salicis* diligenter imponantur, non neglectis remediis aptis internis, quae inter *Moschus* cum *Sale Cornu Cervi volatili*, *Decoctum Corticis peruviani concentratum*, cui in fine coctionis *Chenopodium Ambrosiacum* addendum erit, cum connubio *Naphtae sulphuricae*, aut *aceticae palmam* prae aliis sibi vindicant.

B. *Cura interna.* Primum medici officium poscit, ut diligenter et religiose inquirat, an pustula febre typhode simplici stipata sit, aut complicationes et incitamenta aliena insuper accedant. In typho simplici methodo excitante solummodo opus est, quae, pro morbi gradu, mox levioribus, fortioribus alio tempore utitur remediis. Gradui leviori sat cito medentur infusum *Radicis Valerianae*, cum adiumento *Florum Chamomillae* aut herbae *Menthæ piperitæ*, cui *Essentia Valerianæ anodina*, aut *Liquor anodinus Hoffmanni* addatur. Ubi gradus fortior urget, *Camphoræ* grana duo, saccharo mixta omni bihorio, aut trihorio alternatim cum laudata infusione porrigantur. Si vires vitæ gradu admodum maiori prostratae essent, *Decoctum corticis peruviani regii* cum *Radice Serpentariæ Virginianæ*, adiecta *Tinctura Antibræ* cum *Moscho*, aut *Liquore Cornu Cervi succinato* et *Tinctura Cinnamomi* quadrant, interpositis interdum guttulis quindecim aut viginti *Naphtæ sulphuricæ*, quæ *Camphoram* continet. Caveas vero, ne incitanti medicinæ nimis confidens methodum blande nutrientem negligas, quippe quæ materiam organicam corpori foenerat, quam verum omnium virium substratum iure habeto. Hunc ut scopum adsequaris, vinum simul porriges generosum, vitello ovorum et

sacharo mixtum; aut iuscula carnis simili ratione ovorum vitello nupta. Insuper fomentationes e vino optimo calido pectori, praecordiis, brachiis et cruribus continue adplicatae multum ad rem faciunt.

Quodsi porro typhus *pituitosam naturam* indueret, quae vires vitae torpidas et languentes reddit atque pustulae eruptionem coerret; tunc respicito, an colluvies pituitosa in primis scateat viis, quae statim dato emetico eliminando est. Medicamina sic dicta solventia, quae schola gastrica vomitoriis praemittere suadet, omnino sunt reſicienda, cum absolute sint debilitantia. Finito vomitu, qui mire rubefacientibus praecordiorum regioni antea impositis, promovetur, porrigatur nunc infusum florum Arnicae cum Radice Valerianae et Liquore Cornu Cervi succinato, continuentur epispatica passim adplicata et propinetur infusum theiforme herbae *Menthae piperitae* cum herba *Cardui benedicti*, *Marrubii albi* et *Flavedine Corticum Aurantiorum*, aut serum lactis vinosum cum *Sinapi Anglico conditum* pro potu ordinario. Pedetentim modo ad excitantia validiora progrediari suadeo.

Si vero morbus *characterem putridam* manifestat, *Decoctum concentratum corticis peruviani regii* cum *Extracto eiusdem*, *Tinctura*

Cinnamomi et *Elixirio acido Halleri*, larga erit manu propinandum cui vinum generosum, fomentationes e cortice *Salicis* cum aceto aromatico et *Clysmata* e *Cortice peruviano* cum *Lichene Islandico* addas.

Complicatio verminosa usum *Valerianae* et *Corticis peruviani* cum *Semine Santonici* et *Essentia Valerianae anodina* exigit. Praeterea cingulum e herba *Tanaceti*; herba *Absynthii*, floribus *Chamomillae*, quod, vino calido adpersum, totum abdomen circumdet. Denique clysmata similia.

Complicatio biliosa inunctionibus mercurialibus cum *Oleo Caiaputi* et linimento volatilibus fomentationibus et enematibus leniter sopientibus et antispasticis, pulvere anodino *Doveri* et *Oleo-sacharo Chamomillae*, aut *Millefolii*, profligetur *Camphora* ei est inimica.

C. *Cura symptomatum urgentium*
Inter haec vomitus continuus et anxietates possissimum respici merentur. Vomitus *Aqua Menthae piperitae* cum *Gummi Arabico* et *Extracto Hiosciam*, aut *Aqua Cinnamomi simplex* cum *Tinctura thebaica*, *Pulvis anodinus Doveri*, fomentationes aromaticae, aut cataplasma e semine lini cum multo opio, *Unguentum antispasticum Sellii*, denique epispastica praecordiis im-

sita medentur. Potus sit calidus et aliquantulum mucilaginosus. Anxietates Opio, infusione aromatica et antispastica, epispacticis, balneis et fomentationibus aromaticis, enematribus sopiuntur. Denique *Diarrhoea* forsán interveniens secundum notas artis leges erit compescenda.

Regimen nostro morbo salutare.

Aër sit modice calidus et purus. Summa corporis mundities quam maxime commendanda. Removeantur omnia animi pathemata, praesertim metus; spes e contrario excitanda est et semper fovenda. Nutrimenta porrigantur blanda et digestibilia. Parce diligenter viribus.

T h e s e s.

1. Etsi contagia omnia verisimiliter sibi sint affinia; tamen quodvis ratione mixtionis chemicae ab altero diversum esse, autumo.
 2. Bulbum oculi cum pupilla versus frontem directum, in affectionibus cerebri idiopathicis signum semper periculosum habeto.
 3. Hydrops ventriculorum cerebri morbus nunquam est primarius.
 4. Oleum Caiaputi quodam respectu vires Moschi veri possidet.
 5. Laesiones cranii fere semper sunt complicatae.
 6. Organica uteri laesio veram et perfectam graviditatem recusat.
-